

OENIPONTIS A PARTE ORIEN- TALI, ET VICINORVM LOCO- RVM PROSPECTVS.



Irolensis Comitatus, Prouincia Alpibus licet inclusa & extensa per ipsa iuga Rhætica, fructuum tamen, rerumque ad vitam necessariorum, nec non auri, argenti, metallorumque; omnis generis optimorum copia, tam locuples & diues, ut eam aptissime & admodum faceret Maximilianus Augustus, rudem & agrestem rusticis tunicam appellare consueverit, multis quidem plicis & rugis horridam ac deformem, valde nihilominus bonam, calidam ac commodam esse dicens. E montium enim visceribus, ingentes hauriuntur metallorum thesauri, cacumina vastis siluis, ferarumque; multitudine plena; colles ac cliui, frugibus ac vineis: valles fontium ac fluminum aquis irrigue, armentis & pecoribus referte sunt: quæ pabulo non minus, quam lacus & stagna inter montes spaciocissima, varijs & optimis piscibus abundant. Itaque Comitatus iste, non solum Ducatui, verum etiam Regno diuitijs potest æquiparari. ENI PONS, vulgò *Inspruck* / vrbs, Regionis Metropolis est, ad Eni fluminis dexteram ripam, vbi Camera & Parlamentum est Comitatus Tirolensis, & superiorum Regionum Austriacarum. Ibi Palatium est regio sumptu splendide exornatum, quod multorum Cæsarium Austriacorum fuit domicilium, quod atria habet magnifica, cameras, porticus, sacella, xyptos supellectili regia, aulæis picturis, ornamentisque omnibus instructissimos, hortis artificiosis fontium scaturiginibus amœnos. Videre ibi est in spaciioso pulcherrimoque; cœnaculo, generosam illam Austriacam sobolem, florentissimos aui nostri Principes in tabulis, ad viam effigiem, Titiani peritissimi pictoris ingeniosa manu coloribus imitatos. Intueri iuvat tanquam præsentem & rediuuos. D. Ferdinandum cum Anna fecundissima cõiuge. Carolum V. Augustum cum Leonora Emanuelle Regis filia, eiusque filium Philippum cum Maria Henrici Angliæ Regis F. Maximilianum cum altera Maria Caroli V. F. Pellitum Polonum Sigismundum Regem; Potentem Etruriæ Ducem fulgentibus in armis Alexandrum. In eiusdem palatii armamentario Ducales ministri per spaciosa tabulata, hospitibus monstrant armorum, telorum omnis generis multiplicem copiam, exuuias & hostium spolia insignia. Persicos acinaces sagaces (ut nunc etiam vocant) Schyticas, samateras Daricas, sarissas Macedonicas, Ithyreos arcus & sagittas, nec non pharetras, varijs picturis & coloribus ornatas. Sed imprimis Spectatoribus placet equestrium statuarum turma, barbarorum principum ac Ducum veris armis ac spolijs, opulentissimis instructa, Numidæ nimirum, Mauri, Parthi, Thraces, Thessali, Pannonæ, cataphractique Germani. Ipsam etiam urbem multum exornant patrum Societatis IESV, collegium, & Franciscanorum cœnobium vicinum cum templo pulcherrimo, religionis ac pietatis operâ magnifica, quæ D. Ferdinandus Aug. è quadrato saxo, magnis impensis construxerat. Præter alia templi ornamenta imprimis conspicuum est in eius medio intrantibus obuium Imper. Maximiliani primi monumētum, artificio, signis, & marmorum variorum precio sumptuosum & augustum, quod auo, pij nepotes Carolus V. & Ferdinandus Augg. posuere. Morantur aduenarum atque intuentium oculos artificiosissima signa, imagines, ac tabellæ in lateribus monumenti ex Pario marmore, in quibus eiusdem Maximiliani Augusti res pace belloque præclare gestæ, opere sculptili pulcherrimè representantur. Circumstant ab vtroque monumenti latere, per intercolumnia templi veterum Austriæ domus heroum humana statura maiores, immò decempedales æneæ statuæ, ad vitium in habitu atque armatura antiqua pro more cuiusque; sæculi factæ, cū titulis & collegijs suis, haud mediocrè maiestatem præ se ferentes. Atque inter has quidè Heroum statuas, Godefridi Bullionij Palestinæ ac Hierosolymorum primi Christianorum, Regis, cum spinea in capite corona conspicitur; Cuius causam percontantibus, respondetur, fortissimum illum atque piissimum Principem, post præclaras victorias, quibus Syriam & Palestinam Turcis ac Saracenis eripuerat, Hierosolymam ceperat, à confœderatis Christianis principibus cunctis, vno consensu in eius vrbs, deuictarumque; Prouinciarum Regem electum fuisse, Principesque confœderatos ipsum renitentè humeris sublatum, ad sacrosanctum Christi sepulchrum portasse, ut ibi inter Missæ solennia, coronam atque insignia acciperet, Regni quidem noui gubernacula consensu victum Godefridum, tandem accepisse; coronam tamen, atque insignia regalia accipere prorsus detrectasse, quod indignum atque nefarium iudicaret, hominem in ea vrbe incedere aurea insignem corona, in qua Rex Regum Christus, pro nostra salute spineam gestasset. Eius igitur tam piæ modestiæ propter memoriam optimè merito principis statuam, spinea corona posteros decorasse. Non procul ab vrbe Eni Ponte, *Mulbach*, in Eni Insula se offert, vbi Armamentarium Archiducum est, in quo monstrantur machinæ bellicæ, & æneæ tormenta, vastæ magnitudinis, ac ponderis ingentis, quibus propugnacula, muri, & turres expugnantur, vrbes euertuntur. Vident ferrarias officinas, & fabricas, in quibus thoraces, galeæ, clypei, ocreæ, & ferrea indumenta quæuis cuduntur, poliunturque: nec non in quibus ferreas fistulas formant ac terebrant, per quas plumbeos globos, puluere sulphureo prius iniecto, summa vi torquent in hostes, equos, hominesque cataphractos facile prosternunt lethali vulnere. Vicina est ibi villa Ferdinandi Archiducis suburbana quæ cum triplicibus antiquorum Romanorum villis, opulentia & magnitudine certare potest, positam in cliuo sub montium iugis altissimis in Eni valle, & occupantem per amplatam fundia. Etenim, præter rusticas & fructuarias suas stationes habet in colle positum Palatii instar prætorium, AMERAS dictum, à Sereniss. Archiduce Ferdinando Austriaco extructum, in quo & eius bibliotheca & Musæum Villamue pulcherrimam, elegantia structuræ, situs amœnitate, picturis, regiæque; supellectilis nitore prorsus urbanam. Quam idè Princeps extrui curauit, sibi, aulicæque vniuersæ cohorti suæ ad æstiuandum commodissimam. Ostenduntur etiam in cliuis ac vallibus stagna, piscinæ, lacus & viuaria nobilium piscium, ilinc vineæ, pomaria, siluæ, leporaria, saltus & ferarum viuaria. In Prætorio illò visuntur elegantes apparatus, atria, porticus & triclinia, aulæis, signis, & tabulis pictis ornatisissima. In Aula per ampla Comitum Tirolensium, ab initio, ad nostram vsque tempora successio, cum elogijs rerum gestarum cuiusque Principis. Ibi gynæceum cubiculis varijs pulcherrimè distinctum, horti pensiles, & auaria a neis retibus conclusa: Item, Armamentarium in superiore tabulato spaciocissimum, in quo tanta vis armorum atque telorum omnis generis congesta, ut ex eodem, velut ex equo

Troiano,